


**05**

**A**

**840**



16

DISPUTATIONUM  
GENERALIUM PHILOSOPHICARUM  
PRIMA  
*De*  
**PHILOSOPHIÆ  
ORIGINE, VARIISQUE  
PHILOSOPHORUM SE-  
CTIS.**

*Deo omnis Sapientiae autore adjuvante,  
In Inclyta VVittebergensi Academia Consen-*

*su Amplissimæ Facultatis Philosophicæ*

**PUBLICÆ PROPOSITA  
PRÆSIDE**

**M. ABRAHAMO HEINECCIO  
VVittebergensi,**

**RESPONDENTE  
JOHANNE TAGÆO  
Spandoa-Marchico**

*Ad diem 16. Decembr. In auditorio Veteri horis à  
7. Matutinis.*

*VVITTEBERGÆ,  
Typis Iohannis Gormanni*

---

*M. DC. XV.*



MAGNIFICIS, STRE-  
nuis, & nobilitate Generis,  
& antiqua & præclarâ authoritate simul,  
multoq[ue] rerum usu peritissimis ac præstantissimis VIRIS  
Mæcenatibus, amicis, & susceptoribus meis, summâ cum  
observantia prosequendis.

Dn. FRIDERICO AC BARTHOLD  
à DIERICKEN, Fratribus Germanis, Hæreditarijs  
in Falkenredâ & Paretz &c.

Dn. GEORGIO AC FRANZIO  
ab Haken, Fratribus itidem Germanis in BUCHOVV  
ac CARPZOVV Hæreditarijs &c.

Dn. ANDREÆ à FALCKENREDEN  
hæreditario IBIDEM ET BORNIM.

Viris itidem Reverendis, & pietate & di-  
gnitate, doctrinâ, variâ eminentique virtutum emi-  
nentia clarissimis

Dn. DANIELI TAGÆO, PA-  
stor in Falkenredâ & Karpzovv vigilissimo, Parenti  
meo dignè colendo.

OS A 840 Dn. DANIELI ZIMMERMANNO, IN  
Kartzovv & Priort Pastor dignissimo, Adfini meo  
summo honore prosequendo.

Dn. JOACHIMO TAGÆO, PASTORE  
in Ziten spectatissimo, Fratribusq[ue] reliquis eruditionis  
laude eminentissimis.

In felicissimum Novi anni auspicium, debitæ  
gratitudinis Testimonium, suiq[ue]; commenda-  
tionem dedicare ac offerre voluit.

Jobannes Tagæus Spand.-Marchicus.



CUM DEO  
DISPUTATIONIS  
DE ORIGINE PHI-  
LOSOPHIÆ.  
PRÆLÖQVIVM.



Irum bonum addecere, quæ sunt  
contemplari, rursumq; obire quæ opor-  
tet congruaq; sunt vita hominis, digna  
observatu Platonis ac Aristotelis est  
fententia; & verissimè juxta Cic. l. 2.  
de finibus, Ut equus ad cursum, ad a-  
randum bos, ad indagandum canis, sic  
homo ad duas res, ad agendum & intel-  
ligendum, natus est. In hoc ipso verò en- ducem se So-  
phia exhibet, cui meritò nomen hoc maximum, latissimum,  
& honoratissimum tribuitur. Nec incommodè σοφίαν ἔπειται  
σεβεστι quod est veneror, benoro, deducimus; Ipsa enim  
non solum honore digna, verum & cultores suos reddit hono-  
rabilissimos, ut qui contemptis rebus quas vulgus magnifa-  
cit, & admiratur, contemplationi, & actioni honestæ dedi-  
ti, omnium admirationi sese exponunt, & honore reddunt  
dignissimos. Neg, diffitemur quod bujus possessio vix huma-  
na videatur, & cognomen sapientis soli Deo conveniat, ideoq;  
ambitionis vitanda causa sapientiae cultores se potius Philo-  
sophos quā Sophos dicere voluerunt cum Pythagora. Hodieq;  
(relictis tūm generalibus, tūm specialibus ejus acceptiōibus)  
nihil est aliud quam Habitus intellectualis sapientia &

prudentia constans: *Velut alij: Habitus animi, ductus lucis naturæ inventus, ad animæ functiones proximè perficiendas, quo intelligimus ea omnia, quæ Deus in hoc universo vel contemplanda, vel ad vitam reditè instituendam agenda proposuit, eamq; tantò nos magis amamus, quantò nos Deo similiores reddit.* Nobis enim & illud Senecæ in libr. de Moribus dictum: Omnia impedimenta dimitte, & vaca bene mente ad Philosophiam: & iterum: Ad Philosophiam totam mentem converte, huic aside, & hanc cole, & tunc ingens intervallum erit inter te & homines. Omnes mortales antecedes, & Dij non multum te antecedent. Quibus admoniti, ipsa dignitate Philosophie adducti, disputationibus aliquot generalibus, de ejus causis, cum illius amatoribus candidis & benevolis deinceps publice agere, D. V. constituimus, atq; bac prima de causa ejus efficiente disquirendum sumimus, divino fre-  
ti auxilio.

## Thesis I.

**D**e causa itaque Philosophie effidente seu origine Philosophiae disquintentes, nullatenus eum Cornelio Agrippa, ho-  
mine etiam in scientias utilissimas maxime injurioso.

I. *d. Vanit. scient. c. I. ad antiquum illum serpentem philosophiae inventionem deferimus, idque ex sententia Ophitarum. Hæreticorum, qui propterea serpentem in sacris coluerint, quod in Paradyso virtutis cognitionem induxerit. Neque cum Thamo, Ægyptiorum Rege, Theuto (sicut ipse narrat) humano generi infen- sissimo Dæmoni scientiarum inventionem assignamus; Neq; etiam quod citatus autor Cornel. Agrippa magis sentire videtur, hominibus & quidem pessimæ generationis filijs nim. Cain.*

II. *Esto enim quod Grammatici, Nonnulli perversi, Poetae Vaniloqui, Mendaces Historici, Litigiosi Dialectici, somniatores, Physici, portentosi Metaphysici, sacrilegi Arithmetici, Jactatores Geometrae, fallaces Astronomi, lascivi Musici, errones Cosmographi, Ethici:*

mo-

morosi, Politici iniqui : Numne propterea totam philosophiam non nisi à malis ad inventam dicamus ? Aut num abusus rei optimæ, bonitatem ipsius planè auferet ? Dicamus potius cum Salomone Prov. c. 26. v. 9. sicut spina in manu ebrij, sic & parabola in skultorum.

III. Quocirca non totum sacris oraculis, quam ipsa philosophia saniori edocti, nihil perversi nihil mendacij, nihil vani in philosophia reperiri asseveramus : licet inveniti hæc omnia possint in philosophis, sed ipsam in se esse optimam, nec ab alia aliqua causa, quā bona sumere originem. Quam idcirco generalem & universale nullam dicimus aliam quam D.T.O.M. qui unus sapiens vehementer metuendus, in solio suo sedet : Dominus ipse creavit sapientiam ac vidit, illamque dinumeravit, & effudit super omnia opera sua, ac super omnem carnem pro Munificentia sua, atque hominibus illam amantibus exhibuit, omnis sapientia à Deo manat, & cum eo est in perpetuum, Syr. I. v. i. & s.

IV. Hinc se sapientissimum questionibus ostendere voluit ex naturâ & philosophiâ petitis Job c. 37. & 38. Et sapientia Salomonis ab ipso Deo ad petitionem illi donata, confertur cum sapientia filiorum Orientalium & Ægyptiorum, maximeq; in eo deprehendatur I. Reg. 4. v. 33 quod locutus sit de arboribus & Cedro, quæ est in Libauo, ad Hyssopum quæ egreditur de pariete. Locutus sit de animalibus & de reptilibus & piscibus. Ex quibus omnibus, ne plura à plurimis fusiis deducta adducamus, firmiter concludimus Philosophiam à Deo profectam, in Deo esse archetypam, suppleriter adorandam & laudandam ex hoc nunc & usque in seculum.

V. Et cum omne bonum communicativum sui sit, Deus noster, qui solus sapiens, cuius sapientia increata, independens, absoluta, perfectissima, infinita, tota simul, hanc non sibi reservare voluit, sed ejus imaginem creaturis communicavit, à quibus agnosceretur, & celebraretur; Illas propterea non modo organis ad sui sustentationem & defensionem necessarijs, sapientissimè efformavit; sed ipsum HOMINEM ad imaginem suam creando Masculum & Fœminam. Sapientia exornavit eximia, summaque rectitudine ac harmonia in omnibus potentiis animæ, ut sic sapientia Protoplasmorum, cuius non minima pars fuit rerum naturalium ac actionum honestarum notitia, quam nos Philosophiam dicimus, ipsis non infusa sed INNATA fuerit, licet diuturniori exercitatione acquiri major posuisse. Clar. Doct. Meisn. d. 1. Anthrop: q. 5.

VII. Et ab his ipsis imperfecta quamvis (ut pote qui perfectiu-  
m per lapsum eheu tristissimum amiserant) posteris fuit tradi-  
ta, dum n. Adam ad imaginem suam genuit filios, non ipsam ima-  
ginem divinam congenuit, sed vix rudera quæpiam, quæ N O T I-  
T I A S N A T U R A L E S dicimus, vel principia nobiscum nata, ex  
quibus Patriarchæ, cum proper sicut regionis in quâ vixerunt,  
cum proper corporis constitutionem, cum deniq; vitæ modum,  
& longitudinem philosophari potuerunt rectius ac promptius,  
& scientias amissas restaurare, adeoque q. novas invenire, unde  
Patriarchas omnes in philosophia excelluisse tuto affirmari possumus. Imò &  
post diluvium Noah qui cum filijs annuo spatio inter omnis ge-  
neris animalia versans, naturas illorum intimè perspicere potu-  
it, in philosophia utique maximè excelluit.

VIII. Quo v. magis illam incrementa sumpturam videbatur  
etiamen perversitas ac malitia hominum corrupti vehementius, ita ut i-  
pse Deus, justissima ex ira commotus hominum linguas confu-  
derit, Gen. 11. Esa. 34. quæ L I N G U A R U M C O N F U S I O nun-  
quam sat delachrimanda, inter cætera mala quæ hominum gen-  
peccatis commeritum philosophiæ detrimentum attulit maxi-  
mum. Donec de die in diem inter gentes linguis divisas deficeret  
& planè obliterari cœperit, inque sunt multa ignorantiam demer-  
se sint, eaq; sanior vix inter paucos reservata fuerit, accedente  
Diaboli astutia, ac versutia, proveris falsa, pro vera sapientia er-  
rores quamplurimos subministrando.

IX. Attamen cum V E R I T A S seu Igniculus delitescere omni-  
no non possit, ita omnibus temporibus, inter omnes populos qui-  
dam scientiæ cupiditate adducti, res naturales inquierunt, &  
quod rectam præscribat ratio solum agendum esse decreverunt.  
Hinc in sacris laudatur sapientia Ægyptiorum, in qua eruditus fuie  
Moyses Act. 7. v. 23, Chaldeorum in qua informati Daniel, Hana-  
nia, Misael & Azaria. Laudatur sapientia filiorum Orientalium i. Reg.  
v. 30. Et celebres adhuc sunt proper philosophiæ culturam Per-  
sarum Magi, Ægyptiorum & Chaldeorum sacerdotes, Indorum Gymnoso-  
phistæ, Brachmani & Sameani, Gallorum Druidæ, Græcorum & Latinorum  
Philosophi. Ut ita ipsa philosophia inter Hebreos conservata, ab  
his ad Ægyptios, ab Ægyptiis ad Chaldæos, à Chaldæis ad Persas,  
ab his ad Græcos, à Græcis ad Arabes & Latinos, à Latinis ad nos-  
denique & nostra pervenerit secula, atq; locus hodie vix reperi-  
ti posse

ri possit ullus, ubi non philosophiae nomen clarum sit. Felicissime n. hæc ipsa sicut & cæteræ artes per scripturam, & in primis Typographicam propagata est.

IX. Unde hæc vel obiter venit disquirenda quæstio; An etiam philosophia Patriarcharum, literarum monumentis consignata fuerit; & num etiam ante diluvium literarum usus fuerit? Joseph. l. i. Antiquit. Judaic. c. i. ante diluvium duas erectas fuisse columnas unam latericeam, alteram lapideam annotat, quarum hanc ipse quoque viderit, cui cœlorum stellarumque motus seu Astronomia ab antediluvianis inscripta fuerint, eo fine ut cū cognoverint, mundum tum ab aquis, tum ab incendiis de crimenti aliquid perpersum, alterutra tamen illarum illæsa reservaretur atq; integra. Verum quid de hoc ipso statuendum, penes audientem sit judicium. Scripturam antiquissimam esse non est dubium: Imò etiam ante Moysis fuisse tempora: sed Patriarcharum tempore, ut qui longæviores non ita frequencissima; Usurpata tamen, atque inter alias atque alias gentes tardius introducta, imò saepius etiam immutata, de quibus plurib. Historicos & Grammaticos inter se concertantes audias.

X. Ingens artificium, maximumq; Dei beneficium Typographia est ars omnium artium conservatrix & propagatrix inventum Germanorum, ut a hī Johannis seu ut Polyd: Verg: Petri Fausti civis Moguntini: ut pleriq; Johannis Gottebergij Argentoratensis, circa annum Christi 1440. teste Polyd: Vergil: l. 2, de Invent. rerum c. 7, Ex Germania v. postmodum in alias regiones, Italiam in primis ab Halrico Hann/ Xysto Raisio delata circa annum Christi 1457. ut refert Aventinus l. 17. Annal: Minime vero cum Haariano Junio Batavis aut Indis primam ejus Inventionem assignamus, siquidem illa quæ de Laurentio Johanne adituo Harlemensi, & furto Johannis Fausti narrantur, veritati haut sunt consentanea. Indorum v. impressura, cum Typographia nullum penè habere dicitur convenientiam. Etsi vel maxime, ad Germanos tamen ab illis delata vix probabile.

XI. Sed de his obiter: Ad Philosophiam Philosophosque revertimur, missi que Chaldæorum, Ægyptiorum, Persarumque Philosophia, de hac ipsa quæ ad nos à Græcis devenit, aliquid agemus fuisse. Hæc enim ut gens est vetustissima, ita omni quoq; tempore inter illam scientia inventi fuere cultores & cupidi, unde & à plus

plurimis sed falso scientiarum illis assignatur inventio: Dicendū potius quod ipsi vel maximē rerū naturalium statiles vicissitudo cognoscentes, atque honestatem in actionibus amantes, eorum admiratione ducti, sensu observarint, memoria commenda-  
nat, diurnaque experientia confirmati, universales conclusiones de  
rebus, rām Theoreticis quām practicis produxerint, s̄p̄iusq; discē-  
di causa ad alias gentes Ægyptios Chaldaeos &c. profectos esse,  
eosque à quibus acceperunt sapientiam tanti fecere, ut in numero  
rum Deorum Dearumque retulerint. Sicut de his legi potest,  
*Natal: Comes in Lib. 10. Mythiolog.*

XII. Ac quandoquidem Veritas in se simplicissima & unica, inter veteres tamen Philosophos, puta Thaletem, Anaximandru, Anaximenem, Anaxagoram, Archelaum, Pythagoram, Xeno-phanem, Parmenidem, Melissum, Zenonem, Empedoclem, Ocel lum Timæum, Philolaum, Aritytam, Socratem, Platonem, Speusippum, Xenocratem, Aristotelem, Theophrastum &c. tūm illorum Interpretes, hodiernosque etiam Philosophos non fuit, neque est similis eademque de eadem re sententia, sed in diversas abiēre **S E C T A S**, eō deducti tūm ob rerum difficultatem, intellectus humāni imbecillitatem, & pravitatem Multum enim hic fecit ambitio, φιλονικία, emergendi cupiditas ejusque generis vitia alia, imo & Diaboli seductio. Ex v. ut notat Perer: l. 4.  
*Com: phys:* nomen sunt adeptæ vel à tempore in quo maximē flouerunt, vel ab autore, qui eā instituit, vel ab autoris patria, vel à Loco ubi Philosophati, vel ab aliqua actione inter docendum adhibita, vel à genere vitæ, vel à disciplinis, in quibus maximam impenderunt operam.

XIII. Et ne speciatim omnes & particulares enumeremus sectas, sed illustiores & quæ plures sectatores habuere, illæ comodi simē ut mihi videtur, statuuntur ratione temporis in genere triplices: ANTIQUA, MEDIA & NOVA. Neq; n. hic nobis quæstio est, de secta Saducæorum, Phariseorum, Sacerdotum, Scribarum, Essæorum inter Judæos &c. qui ut in quæstionibus Theologicis & explicatione legis controversi, sine dubio & de rebus naturalibus intersese disenserunt: Solūm de Græcorum philosophorum sectis, & quæ nostra aetate vigent agemus. In quibus verò recensendis non singula illorum dogmata, sed posteriora tandem enumerabimus idque paucissimis.

14. Ia



XV. In ANTIQUA secta duo potissimum fuere philosophorum generâ; JONICUM & ITALICUM; à loco in quo docuerunt denominata. Et illa quidem à regione Græciæ JONIA autore Thalete Milesio cuius tanta deprædicabatur sapientia, ut triples, seu mensa aurea à pescatoribus reperta, cum hac inscriptione sapienti Græcorum detur, ex oraculo Apollinis Thaleti tradenda fuerat, videatur Diogenes Laert. l.r. de vit. phil. Dicitur quod res naturales in eis ipsis ut sensui objiciebantur consideraverit, & in observando siderum curru diligentissimus, unde & hoc nomine maximè celebris, quod Jonibus obventuram Eclipsin prædixerat. Mundi principium statuit, omniaq; fieri ex aqua afferuit, magnamque loquendi libertatem præ Pythagoricis adhuc huit. Sectatores habuit Anaximandrum, Anaximenem, Anaxagoram, Archelaum, qui primus dicitur Philopham Athenas transtulisse, &c.

XVI. ITALICI ab Italia dicti in qua primus illorū autor Pythagoras ejus egestus è patria docuit. De ejus v. patria an Samia fuerit sicut Jamblichus voluit, an Tyria sicut Neanthes, an Tyrrhenia ut Aristarchus sentit, an Syria ut Eusebius, alios quibus multum interest, concertare relinquitus. Nobis sufficit peculiaris sectæ auctorem fuisse, magnæ autoritatis apud suos auditores, ut quibus illud auctorēs sufficiebat, unde etiam de eo æstimando diversæ erant sententiae, alij ipsum Pythium, alij Hyperboreum Apollinem, alij unum ex Dœmonibus qui Lunam incolerent putarunt. Quod primum Φίλος nomen in Φιλόσοφος, neque se sapientem, sed studiosum sapientiæ dicere voluerit, ex superioribus constat: Mathematicis numeris & Magnitudinibus in primis deditus, unde & Aristoteles i. Met. c. 5. Pythagoricos dicit primos operam Mathematicis dedisse, sicut & ipsi numeros fecerunt principia rerum naturalium: Hinc menti attribuerunt Monadem. scientiæ dyadem, opinioni triadem, sensu itetradem. Nimium multa hic agglomeranda essent, si singulas ejus de rebus singulis vellem proponere sententias. Quæ de ej⁹ μετεμψυχώσι, Magia, &c. alio loco reservamus, & videri interim possunt apud Cælium Rhodiginū in Lection. antiquis. Picolom. in grad. civilibus & reliquos. Sectatores habuit Theanam uxorem, Theleachin filium, Empedocle, Epicharmum, Architam Tarentinum &c.

17. Reg.



XVI. Referunt huc alias adhuc duas sectas *Eleaticam*, & *Cynicam*, sed nullum dubium, quin hæ ex istis prioribus habuerint originē neq; adeò multū dissenserint, & ut speciatim de his aliquid dicamus. *Eleatica secta* ad Zenonem & Parmenidem Eleatenses refertur, qui libertate quadam assumpta in nonnullis à Pythagoricis dissentire incœperunt, præ cæterisq; disciplinis Philosophiæ Logicæ in primis dedere operam; De *Cynicis* dicit Joh. Francis. Picus Mirand. l. i. doct. de Vanit. gentium p. 484. à vitæ specie & similitudine dicti sunt Cynici, & paulò ante: *Cynici* nimiā libertatē, ne temeritatem dixerim unumquemq; adlatrandi, unde caninū derivavit nomen, ab eodē Socrate duxisse originē si possent ostendere, benè sibi ipsis actū esset, *Picol. grad. 9. civil. Phil. c. 18.* Cynici dicit, adeò voluptatē spreverūt, ut satius duxerint insanire, quam voluptate perfundi. Volunt alij ipsam Cynicam sectam ex Jonica Thaletis duxisse originem. De secta Antiqua hæc dixisse sufficiant. Si quæ præterea nominari possint utpote *Cyrenaica*, *Megarica*, non tam novarum sectarum, quam earundem alijs nominibus prolatarum, & ab alijs autoribus deductarum sunt nomina.

XVII. *MEDIA secta* ex hisce desumens originē primò generaliiter nobis dividenda videtur, in *Dogmaticam*, *Scepticā*, *Empiricā* & *Mixtā* (quamvis non diffitemur quod hæc distinctio suo modo etiā superioribus attribui possit) & ita quidem dividitur ex diversitate assensus quē de rerū veritate haberi posse statuebant. *Dogmatici* dicebātur, qui de rebus, certā haberi & proponi posse veritatē estimabant. *Sceptici* qui cōtemplantes nulli assensum præbebant, sed de omnibus dubitandū potius judicabant. *Empirici* omnia sensibus & experientiæ subjiciebant; *Mixti* v. qui inter Dogmaticos & Scepticos medium obtinebant sententiā, & de nonnullis dubitandū, nonnullis v. certū assensum præbendū esse judicabant. *Speciales autores* non addimus cum maxime inter subsequentes Philosophos viguerint.

XIX. Inter hos n. Philosophiæ studiū quadripartito divisum, & quatuor exortæ sectæ adhuc celeberrimæ puta *Academicorū*, *Stoicorum*, *Peripateticorum*, & *Epicuræorum*. Et hi s̄pissimè in una eademq; civitate docuerunt. Sicuti ex Actis cap. 17. patet, ubi Athenis cum Paulo quidam Stoicorū & Epicuræorū Philosophi conflictan-

tar.



tur. *Secta Academica* prīmō ponitur, nomenq; ipsi volunt, inditū ab *Academo patritio Atheniēsi*, qui nemus quoddā suburbanū in quo docuerat *Plato*, *Philosophis* donaverat, & certè vel maxime *Plato* illius sectæ autor est, qui secutus præceptorem *Socratem*, unde & *Socratica* & *Platonica* secta dicitur, fuitq; hæc ut veterior, ita & purior: *Sectatores numerātūr Speusippus, Xenocrates, inter eosq; discipulos in prīniis clarus Aristoteles.* *Mēdia Acadēmia* succēsīt autore *Arcesila*, ut notat *Laert. l.4.* verum hæc nō admodū diuturna, ut n. dubitare incœperat, ita *tertia* insecura, quæ omnem planè certitudinē sustulit, nihilq; certè posse sciēti afferuit, imo nec sensibus credendum, in qua connumerantur *Anaxarchus, Antisthenes, Pyrrho Eliensis, unde & dicti Pyrrhonici.* *Picus* quartam & quintam Acadēmiam statuit, quia alia alijs majorem certitudinē minoremq; defenderint.

XIX. *STOICA* secta διὰ τῆς στοάς, à porticu nomen obtinuit, quod nt scribit Coel: Rhod. lect. Antiq. l. 10. c. 25. & l. 25. c. 30. in templorum porticibus obversari consueverint, ut habitaculi sanctitate admoniti, non temere aliud quam divina cogitarent, illius autor statuitur Zeno Cytticus, *sectatores* Cleanthes, Chrysippus, Sphæreus, Theocritus, Carneades Clitomachus, eiique etiam sectæ adhæsit Cicero, uti ex illius scriptis cognoscitur. Summam operam posuerunt in conquirenda Logica. Vnde & illorum libri Logici citantur per plurimi à Laertio, illam tamen proposuerunt minus perfectam, intricatam, usuiq; non ita commodam. Dogmata illorum plurima de summo bono, de affectibus, de virtutibus &c. apud Piccolom. videoas in grad. Phil. civil. Sed hæc & similia plurima ut sublata, ita optandum esset, ut quod de fatali necessitate introduxerunt dogma plane non usurparetur etiam ab illis, qui in media vivere volunt Ecclesia. At omnia necessariò fieri ex immutabili divina providentia, quid aliud est quam fatalem necessitatem Stoicorum introducere.

XX. Tertia secta PERIPATETICA ab Aristotele Stagyrita Platonis per 20. annos auditore introducta, à deambulacione quæ in docendo adhibita, quod Græci dicunt περιπατēτar nomen obtinuit, & cum reliquæ vel planè ignorarentur, hæc tamen inter sectas hac nostra ètate celeberrimas potissima est, ob quod de illa dicendum in sequentibus erit fusus. EPICVRÆA quarta ab autore Epieuro quodam ita dicta

omniaque sine certa providentia temerè fieri statuerit, animam mortalem judicarit, summum hominis bonum in voluptate corporeo collocarit, & quæ istorum potentorum, atq; absurdissimorum absurdia alia. Inveniuntur tamen qui hæc de Epicurea secta nō per omnia vera concedunt, & sane hæc omnia de Epicuro cuius vita lib. 10. apud Diog. Laer: describitur vera non esse, aperte colligitur, cum is describatur frugalissimus, & voluptati non corporis, sed animæ inhiasse. Priorem igitur, siq; etiam olim vel hodie ad huc aliquot habeat alleclas, non tam hominum quam de grege pororum statuimus.

X X I. Ad sectam deniq; Novam accedimus, quam ita dicimus, non quod vel hodie vel heri nata sit, sed quod reliquis penè omnibus deletis hoc nostro tempore ad huc vel maximè vigeat. Hæc v. ab alijs numerantur aliter atq; aliter. Sunt qui quinque ejus ponant species. Aristotelicam seu Peripateticam, 2. Scholasticam & hanc vicissim vel Thomisticam vel Scotisticam. 3. Philippæam. 4. Ramæam. 5. Lullianam, quibus addendi videntur Fratres crucis Roseæ, qui & hodie novam importare philosophiæ rationem intendunt. Verum cum Scholastica & Philippæa ab Aristotelica parum differant, & utraq; Aristotelem sibi habeat propositum, à cuius principijs discedere noluit, ita has duas cum ipsa Aristotelica connectimus, duasq; adhuc adjicimus Ramæam & Lullianam cum peculiares sectas ipsi velint constituere. De fratribus Crucis Roseæ, dies & tempus quid statuendum declarabit. De istis v. in hac disputatione Colophonis loco hoc unicū quæremus, Cuinā potissimum assentiendum sit? Et quanquam hoc ipsum odiosum sit, cum quælibet assertores & defensores habeat acerrimos, tamen si pro veritate standum hujus non pœnitit esse sententia, Aristotelis Philosophiam non modo præ veteribus esse optimam, sed inter ho- diernas quoq; veritati magis consentaneam, optima Methodo digestam, ex solidis principijs rationibus atq; argumentis extractam, terminorum ac phrasium proprietate, perspicuitate ac soliditate clarissimam, cui propterea vel maximè assentiendum, à quareliquæ lucem accipient, atq; sine causa ab ipsa dissentiant, ut illud fusiū cum Deo & die in sequentibus disputationibus declarabimus, in quibus speciatim de sectis hisce novis nobis agendum erit, idque aliquantum fusiū. Hæc hic dicta sufficiant,


F I N I S.



05 A 240


**ULB Halle**  
003 768 228

3





**Farbkarte #13**



DISPUTATIONUM  
GENERALIUM PHILOSOPHICARUM  
PRIMA  
*De*  
**PHILOSOPHIÆ  
ORIGINE, VARIISQUE  
PHILOSOPHORUM SE-  
CTIS.**

*Deo omnis Sapientiae autore adjuvante,  
In Inclita VVittebergensi Academia Consen-*

*tu Amplissimæ Facultatis Philosophicæ  
PUBLICÆ PROPOSITA  
PRÆSIDE*

**M. ABRAHAMO HEINECCIO  
VVittebergensi,**

*RESPONDENTE  
JOHANNE TAGÆO  
Spandoa-Marchico*

*Ad diem 16. Decembr. In auditorio Veteri horis d  
7. Matutinis.*

*VVITTEBERGÆ,  
Typis Iohannis Gormanni*

*M. DC. XV.*

